

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**T. Lvcretii Cari, Libri Sex Nuper Emendati**

**Lucretius Carus, Titus**

**Venetiis, XII.1500**

**Landesbibliothek Oldenburg**

Shelf Mark: CIM II 238 C

T. L. C. De Rervm Natvra. Liber Sextvs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-861890](#)

T. L. C. DE RERVM NATVRA

LIBER SEXTVS



Rimæ frigiferos fœtus  
mortalibus ægris  
dididerunt quondam præclaro  
nomine Athenæ,  
& recreauerunt uitam  
leges que rogarunt,  
& primæ dedérunt solatia  
dulcia uitæ.

Cum genuere virum tali cum corde repertum,  
omnia ueridico qui quondam ex ore profudit.  
Cuius & extincti propter diuina reperta  
diuolgata uetus iam ad cœlum gloria fertur.  
Nam cum uidit hic ad uitum quæ flagitat usus,  
omnia iam ferme mortalibus esse parata,  
& per quæ possent uitam consistere tutam,  
diuitiis homines & honore & laude potenteis  
affluere, atque bona gnatorum excellere fama,  
nec minus esse domi cuiquam tam enixa corda,  
atque animi ingratis uitam uexare querelis,  
causam quæ infestis cogit seruire querelis.  
Intellexit ibi uitium uas officere ipsum,  
omnia que illius uitio corrumpier intus,  
quæ collata foris & commoda cunque uenirent,  
partim quod fluxum pertusum que esse uidebat,  
ut nulla posset ratione explerior unquam  
partim quod tetro quasi conspurcare sapore  
omnia cernebat quæcunque receperat intus,  
Veridicis igitur purgauit pectora dictis,  
& finem statuit cupidinis atque timoris,  
Exposuit que bonum summū quo tendimus omnes,  
quid foret, atque uiam monstrauit tramite paruo,  
qua possemus ad id recto contendere cursu,  
quid ue mali foret in rebus mortalibus passim,  
quod

quod flueret naturaſi uero, atque ueniret,  
Seu caſu ſeu ui, quod ſic natura parafet,  
& quibus e portis occurri cuique deceret,  
& genus humaniū fruſtra plerunque probauit  
uoluere curarum tristeis in pectore fluctus.  
Nam ueluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
in tenebris metuunt, ſic nos in luce timemus  
interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam  
quæ pueri in tenebris pauitant, ſingunt' que futura.  
Hunc igitur terrorem animi, tenebras' que neceſſeſt  
non radii ſolis nec lucida tela diei  
diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratio' que.  
Quo magis incepturn pergam pertexere dictis.  
Et quoniam docui mundi mortalia templa  
eſte, & natuuo conſiſtere corpore cœlum,  
& quæcunque in eo fiunt, fieri' que neceſſeſt,  
pleraque diſſolui, quæ reſtant percipe porro,  
Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum  
uentorum exhortantur ſpes, atque obuia rurſum  
quæ fuerint ſint placato conuerta fauote.  
Cætera quæ fieri in terris, cœlo' que tuentur  
mortales, pauidis cum pendent mentibus ſæpe,  
& faciunt animos humileis formidine diuum,  
depreſſos' que premunt ad terram. Propterea quod  
ignorantia cauſarum conferre deorum  
coſgit ad imperium res, & concedere regnum.  
Quorum operum cauſas nulla ratione uidere  
poſſunt, has fieri diuino numine rentur.  
Nam bene qui didicere deos ſecurum agere æuuni.  
ſi tamen interea mirantur, qua ratione  
quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis  
quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris,  
rurſus in antiquas referuntur relligiones,  
& dominos acris aſcifunt omnia poſſe  
quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,  
quid nequeat, finita potestas denique cuique  
qua nam ſit ratione, atque alte terminus hærens.



quo magis errantes cæca ratione feruntur.  
Quæ nisi respuis ex animo, longe' que remittis  
Diis indigna putare, aliena' que pacis eorum  
delibata deum, perte tibi numina sancta  
sæpe aderunt. Non quod uiolari summa deum uis  
possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis.  
Sed quia tute tibi placida cum pace quietus  
constitues magnos irarum uoluere fluctus,  
nec delubra deum placido cum pectore adibis.  
Nec de corpore quæ sancto simulacra feruntur  
in menteis hominum diuinæ nuntia formæ  
suscipere hæc animi tranquilla pace ualebis.  
Inde uidere licet, qualis iam uita sequatur,  
quam quidem ut a nobis ratio uerissima longe  
reiiciat, quamquam sunt a me multa profecta,  
multa tamen restant, & sunt ornanda politis  
uersibus, & ratio cœli species' que tenenda,  
sunt tempestates, & fulmina clara canenda,  
quid faciant, & qua de causa cunque ferantur,  
ne trepides cœli diuisis partibus amens,  
unde uolans ignis peruenierit, aut in utram se  
uerterit hinc partem, quo pacto per loca septa  
insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se,  
quorum operum causas nulla ratione uidere  
possunt, ac fieri diuino numine rentur.  
Tu mihi suprema præscripta & candida callis  
currenti spatum præmonstra callida Musa  
Calliope requies hominum diuum que uoluptas,  
te duce ut insigni capiam cum laude coronam.  
Principio tonitu quatuntur cærula cœli  
præterea, quia concurrunt sublime uolantes  
ætheriæ nubes contra pugnantibus uentis.  
Nec sit enim sonitus cœli de parte ferena.  
Verum ubi cunque magis denso sunt agmine nubes,  
tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.  
Præterea neque tam condenso corpore nubes  
esse queunt, quam sunt lapides a ligna, neque autem  
tam



tam tenues, quam sunt nebulæ, sumique uolantes.  
Nam cadere abrupto deberent pondere pressi  
ut lapides, aut ut fumus, constare nequirent.  
nec cohibere niues gelidas, & grandinis imbreis.  
dant etiam sonitum patuli super æquora mundi.  
Carbasus ut quondam magnis intenta theatris  
dat crepitum muros inter iactata, trabeis' que,  
interdum percissa furit petulantibus auris.  
Et fragilis sonitus chartarum commeditatur.  
Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis.  
Aut ubi suspensam uestem, chartas' que uolanteis  
uerberibus uenti uersant, plangent' que per auras.  
Fit quoque enim interdum nō tam concurrere nubes  
frontibus aduersis possint, quam de latere ire  
diuerso, motu radentes corpore tractum,  
aridus unde aureis terget sonus, ille diuque  
ducitur, exierit donec regionibus arctis.  
Hoc etiam pacto tonitru concussa uidentur  
omnia sæpe graui, tremere, & diuolsa repente  
maxima dissoluisse capacis moenia mundi.  
cum subito ualidi uenti conlecta procella  
nubibus intorsit seſe, conclusa' que ibidem  
turbine uersanti magis ac magis undique nubem  
cogit, uti fiat spisso caua corpore circum.  
Post ubi commouit uis eius & impetus acer,  
tum perterrcrepo sonitu dat missa fragorem.  
Nec mirum, cum plena animæ ueſſicula parua  
sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente.  
Est etiam ratio cum uenti nubila perflant,  
& sonitus faciunt, & enim ramosa uidemus  
nubila sæpe modis multis, atque aspera ferri.  
Scilicet ut crebram siluam cum flamina cauri  
perflant, dant sonitum frondes, ram'i' que fragorem.  
Fit quoque ut interdum ualidi uis incita uenti  
percindat nubem perfringens impete recto,  
nam, quid possit ibi flatus, manifesta docet res.  
Hic ubi lenior est, in terra cum tamen alta



arbusa euoluens radicibus hanrit ab imis.  
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur  
dant in frangendo grauter quod item fit in altis  
fluminibus, magno que mari cum frangitur æstu.  
Fit quoque ubi e nube in nubem uis incidunt ardens  
fulminis, hæc multo si forte humore recepit  
ignem, continuo magno clamore trucidat.  
Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim  
stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbre.  
Aridior porro si nubes accipit ignem,  
uritur ingenti sonitu subcensa recente.  
Lauricomos ut si per montes flamma uagetur  
turbine uentorum comburens impete magno.  
Nec res ulla magis quam Phœbi delphica laurus  
terribili sonitu flammia crepitante crematur.  
Denique sæpe geli multus fragor atque ruina  
grandinis in magnis sonitum dat nubibus alte.  
Ventus enim cum conuertit, franguntur in altum  
concreti montes nymborum, & grandine mista.  
Fulget item nubes, ignis cum semina multa  
excussere suo concursu, ceu lapidem si  
percutiat lapis aut ferrum, non tum quoque lumen  
exilit, & claras scintillas dissipat ignis.  
Sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus  
fulgere quam cernant oculi, quia semper ad aureis  
tardius adueniunt, quam uisum quæ moueant res.  
Id licet hinc etiam cognoscere cedere si quem  
anticipi uideat ferro procul arb'oris auctum,  
Ante fit ut cernas istum, quam plaga per auras  
det sonitum, sic fulgorem quoque cernimus ante,  
quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni,  
& simili causa concursu natus eodem.  
Hoc etiam pacto uolucri loca lumine tingunt  
nubes, & tremulo tempestas impete fulgit.  
Ventus ubi inuasit nubem, & uersatus ibidem  
fecit ut ante cauam docui spissescere nubem,  
mobilitate sua feruescit, ut omnia motu  
per



per calefacta uides ardescere plumbea uero,  
glans etiam longo cursu uoluenda liquefit.  
Ergo feruidus hic nubem cum perstidit atram.  
dissipat ardoris quasi per uim expressa repente  
semina quæ faciunt nictantia fulgura flammæ.  
Inde sonus sequitur, qui tardius, adlicit aureis,  
quam quæ perueniunt oculorum ad lumina nostra.  
Scilicet hoc densis fit nubibus, & simul alte  
extructis aliis alias super impete miro.  
Nec tibi sit fraudi, quod nos inferre uidemus  
quā sit lata magis, quā sursum extracta, quod extent.  
Contemplator enim cum montibus assimilata  
nubila portabunt uenti transuersa per auras.  
Aut ubi per magnos montes collata uidebis  
insuper esse aliis alia atque urgere superna  
in statione locata, sepultis uudique uentis.  
Tum poteris magnas moles cognoscere eorum,  
speluncas' que uelut saxis pendentibus stratas  
cernere, quas uenti cum tempestate coorta  
complerunt magno indignantur murmure clausi  
nubibus in caueis que ferarum more minantur,  
nunc hinc nunc illinc fremitus per nubila mittunt,  
quærentes' que uiam circum uersantur, & ignis  
semina conuoluunt e nubibus atque ita cogunt  
multa, rotant que cauis flammam formacibus intus,  
donec diuolsa fulserunt nube corusci.  
Hac etiam fit uti de causa mobilis ille  
deuolet in terram liquidi color aureus ignis.  
Semina quod nubes ipsas per multa necessest  
ignis habere, sed enim cum sunt humore sine ullo,  
flammeus est plerunque colos & splendidus ollis,  
quippe & enim solis de lumine multa necessest,  
concipere, ut merito rubeant, ignes que profundant.  
Hasce igitur cum uentus agens contritus in unum  
compressit que locum cogens expressa profundunt  
semina, quæ faciunt flammæ fulgore colores,  
Fulgit item cum rarescunt quoque nubila coeli.



Nam cum tientis eas leviter diducit eunt ei,  
dissoluit que cadant ingratius illa necesse est.  
semina quæ faciunt fulgorem tum sine retro  
terrore, & sonitu fulgit nullo que tumultu.  
Quod super est q̄ sit natura prædicta constent  
fulmina, declarant ictus & inusta uapore  
signa, notæ que grauis halanteis sulfuris aureis.  
Ignis enim sunt hæc non uenti signa, neque imbris.  
Præterea per se accidunt quoque recta domorum  
& celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.  
Nunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem  
constitut natura minutis mobilibus que  
corporibus, cui nil omnino absistere possit.  
Transit enim ualide fulmen per septa domorum  
clamoruti ac uoces transit per saxa per æra.  
Et liquidum puncto facit aes in tempore & aurum.  
curat, item uasis integris uina repente  
diffugiant, quia nimirum facile omnia circum  
conlaxat, rare que facit latera omnia uasis  
adueniens calor eius ut insinuatur in ipsum  
mobiliter soluens differt primordia uini  
Quod solis uapor ætatem non posse uidetur  
efficere, usque adeo candens feruore corusco.  
Tanto mobilior uis & dominantior hæc est.  
Nunc ea quo pacto gignantur & impete tanto  
fiant, uti possint ictu discludere turreis  
disturbare domos auellere ligna trabes que,  
& monumenta virum demoliri, atque ciere  
exanimare homines pecudes prosternere passim  
Cætera de genere hoc qua ui facere omnia possunt,  
expediam, neque te in promissis plura morabor.  
Fulmina gignier e crassis, alteque putandum ist  
nubibus extractis. Nam cœlo nulla sereno,  
nec leuiter densis mittuntur nubibus unquam.  
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,  
quod tunc per totum concrescant aera nubes  
undiue, uti tenebras omnis acherunta reamur  
**liquisse**



liquisse, & magnas cœli complesse cauerias.  
Visque adeo tetra nymborum nocte coorta  
impendunt atre formidinis ora superne  
cum commoliri tempestas fulmina cœptat.  
Præterea persepe niger quoque per mare nymbi  
ut picis e cœlo demissu fulmen in undas  
sic cadit, & fertur tenebris procul & trahit atram  
fulminibus grauidam tempestatem atque procellis,  
ignibus ac uentis cum primitis ipse repletur,  
in terra quoque ut horrescant ac testa requirant.  
Sic igitur supera nostrum caput esse putandumst  
tempestatem altam. Neque enim caligine tanta  
obruerent terras, nisi in ædificata superne  
multa forent multis exempto nubila sole,  
Nec tantos possent uenientes opprimere imbræ,  
fulmina, abundare ut facerent, campos' que natare.  
sinon extructis foret alte nubibus æther.  
Hic igitur uentis atque ignibus omnia plena  
sunt, ideo passim fremitus & fulgura fiunt.  
Quippe & enim supera docui permulta uaporis  
semina habere cauas nubeis, & multa necessitas  
concipere ex solis radiis, ardore' que eorum.  
Hic ubi uentus eas idem qui cogit in unum  
forte locum quem uis, expressit multa uaporis  
semina, se que simul cum in eo commiscuit ignis  
insinuatus ibi uortex uersatur in alto.  
et calidis acuit fulmen fornacibus intus  
Nam dupli ratione accenditur ipse, sua cum  
mobilitate calescit, & e contagibus ignis.  
Inde ubi percaluit grauius iam uentus in ignis  
impetus incessit, maturum cum quasi fulmen  
perscindit subito nubem, fertur' que coruscis  
omnia luminibus lustrans loca percitus ardor.  
Quem grauis in sequitur sonitus, displosa repente  
opprimere ut cœli videantur templa superne,  
inde tremor terras grauiter pertentat, & altum  
murmura percurrent cœlum, nam tota fere tum



tempeſtas concuſſa tremit, fremitus' que mouentur,  
quo de concuſſu ſequitur grauis imber, & uber,  
omnis uti uideatur in imbre uertier æther,  
atque ita præcipitans ad diluuiem reuocare.  
Tantus diſſidio nubis uenti' que procella  
mittitur ardentι ſonitus cum prouolat ictu.  
Eſt etiam cum uis extrinſecus incita uenti  
incidit in ualidam maturo fulmine nubem,  
quam cum perſcidit, extempiſo cadit igneus ille  
uertex, quem patrio uocitamus nomine fulmen,  
hoc fit idem in parteis alias, quo cunque tulit uis.  
Fit quoque ut interdum uenti uis miſſa ſine igni  
ignefacat tamen in ſpatio longo' que meatu  
dum uenit, amittens in curſu corpora quædam  
grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras,  
atque alia ex ipſo conradens aere portat,  
paruula, quæ faciunt ignem coniſta uolando.  
Non alia longe ratione, ac plumbea ſepe  
feruida fit glans in curſu, cum multa rigoris  
corpora dimittens ignem concepit in auris.  
Fit quoque ut ipſius plaqæ uis excitet ignem,  
frigida cum uenti pepulit uis miſſa ſine igni,  
nimirum, quia cum uehementi perculit iſtu  
confluere ex ipſo poſſunt elementa uapores,  
& ſimul ex illa, quæ tum res excipit illum,  
ut lapidem ferro cum cædimuſ euolat ignis.  
Nec quod frigida uis fit ferri, hoc feciuſ illa  
ſemina concurrunt calidi fulgoris ad iſtum.  
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,  
opportuna fuit ſi forte, & idonea flammis.  
Nec temere omnino plane uis frigida uenti  
eſſe poſteſt, ex qua tanta ui immiſſa ſuperneſt,  
quin priu in curſuſ ſi non accendit igni,  
at tepefacta tamen ueniat commiſta calore,  
mobilitas autem fit fulminis, & grauis iſtus.  
At celeri ferme perguunt ubi fulmina lapsu  
nubibus ipſa quod omnino priu incita ſe uis  
colligit,



colligit, & magnum conamen sumit eundi.  
Inde ubi non potuit nubes capere impetis auctum,  
exprimitur uis, atque ideo uolat impete miro,  
ut ualidis quæ de tormentis missa feruntur,  
adde quod e paruis, & leuibus est elementis,  
nec facilest tali naturæ obsistere quicquam,  
inter enim fugit, ac penetrat per rara uiarum,  
non igitur multis offensibus in remorando  
hæsitat, hanc ob rem celeri uolat impete labens.  
Deinde quod omnino natura pondera deorsum  
omnia nituntur, cum plaga sit addita uero  
mobilitas duplicatur, & impetus ille grauescit,  
ut uehementius, & citius quæcunque morantur  
obuia discutiat plagis, itiner' que sequatur.  
Denique quod longo uenit impete, sumere debet  
mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,  
& ualidas auget uireis, & roborat ictum,  
nam facit ut quæ sint illius semina cunque,  
e regione locum quasi in unum cuncta ferantur,  
omnia coniiciens in eum uoluentia cursum,  
forsan & ex ipso uenientis trahat aere quædam  
corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem,  
incolomis' que uenit per res, atque integra transit  
multa, foraminibus liquidis, quia trauiat ignis,  
multa' que perfringit, cum corpora fulminis ipsa  
corporibus rerum inciderint, quæ texta tenentur,  
dissoluit porro facile æs, aurum' que repente  
conseruefacit, e paruis quia facta minute  
corporibus uis est, & leuibus ex elementis,  
quæ facile insinuantur, & insinuata repente  
dissoluunt nodos omneis, & uincula relaxant.  
Autumno' que magis stellis fulgentibus alta  
concuditur cæli domus undique, tota' que tellus,  
& cum tempora se ueris florentia pandunt.  
Frigore enim desunt ignes, uenti' que calore  
defiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.  
Inter utrumque igitur cum cæli tempora constant,

m



tum iuariæ causæ concurrunt fulminis omnes.  
Nam fretus ipse anni permiscet frigidus æstum,  
quorum utrumq; opus est fabricāda ad fulmina nobis,  
ut discordia sit rerum, magno'que tumultu  
ignibus, & uentis furibundus fluctuet aer.  
Prima caloris enim pars est, postrema liquoris,  
tempus idest uernum, quare pugnare necessest  
dissimileis inter se res, turbare'que mistas,  
& calor extremus primo cum frigore mistus  
uoluitur, autumni quod fertur nomine tempus,  
hic quoque configunt hyemes æstatibus acres.  
Propterea sunt hæc bella anni nominanda,  
nec mirum si in eo tum tempore plurima fiunt  
fulmina, tempestas'que cietur turbida cælo,  
ancipi quoniam bello turbatur utrinque  
hic flammis, illinc uentis, humore'que misto.  
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam  
perspicere, & qua ui faciat rem quanque uidere,  
non tyrrhena retro uoluentem carmina frustra  
iudicia occultæ diuum perquirere mentis,  
unde uolans ignis peruerterit, aut in utram se  
uerterit hic partem, quo pacto per loca septa  
insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se,  
quid'ue nocere queat de cælo fulminis ictus.  
Quod si Iuppiter, atque alii fulgentia diui  
terrifico quatunt sonitu cælestia templa,  
& iaciunt ignem, quo inducit cunque uoluntas,  
cur quibus incautum scelus aduersabile cunquest,  
non faciunt isti flamas ut fulguris halent  
pectore perfido documen mortalibus acre.  
Et potius nulla sibi turpi conscius in re  
uoluitur in flaminis innoxius, inque peditur  
turbine cælesti subito correptus, & igni.  
cur etiam loca sola petunt, si ustra'que laborant?  
an tum brachia consuescunt, firmant'que lacertos?  
in terra'que patris cur telum perpetiuntur?  
obtundi cur ipse sinit? neque parcit in hosteis?

Deniq;



Denique cur nunquam cælo iacit undique puro  
Iupiter in terras fulmen, sonitus que profundit?  
An simulac nubes successere, ipsus in æstum  
descendit, prope ut hinc cæli determinet ictus.  
in mare qua porro mittit ratione? quid undas  
arguit, & liquidam molem, campos que natanteis?  
Præterea si uult caueamus fulminis ictum,  
cur dubitat facere, ut possimus cernere missum?  
si nec opinanteis autem uult opprimere igni,  
cur tonat ex illa parte, ut uitare queamus?  
Cur tenebras ante, & fremitus, & murmura concit.  
Et simul in multas partes qui credere possis  
mittere? an hoc ausis nunquam contendere factum?  
ut fierent ictus uno sub tempore plures?  
At saepst numero factum, fieri que necessest,  
ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,  
fulmina sic uno fieri sub tempore multa.  
Postremo cur sancta deum delubra, suas que  
discutit infesto præclaras fulmine sedes?  
& benefacta deum frangit simulacra, suis que  
demit imaginibus violento uolnere honorem?  
alta que cur plerunque petit loca, plurima quo plus  
montibus in summis uestigia cernimus ignis?  
Quod supèrest facilest ex his cognoscere rebus  
præsteras graui quos ab re nominitarunt,  
in mare qua missi ueniant ratione superne.  
Nam sit ut interdum tanquam demissa columnæ  
in mare de cœlo descendat, quam freta circum  
feruescunt grauiter spirantibus incita flabris,  
Et quæcumque in eo cum sint deprehensa tumultu  
nauigia, in sumnum ueniunt uexata periculum.  
Hoc fit ubi interdum non quit uis incita uenti  
rumpere quam cœpit nubem, sed deprimit, ut sit  
in mare de cœlo tanquam demissa columnæ  
paulatim, quasi quid pugno brachii que superne  
coniectu trudatur, & extendatur in undas.  
quam cum discidit, hinc prorumpitur in mare uenti

m ii



uis, & feruorem mirum concinniat in undis.  
uersabundus enim turbo descendit, & illam  
deducit pariter lento cum corpore nubem.  
quam simulac grauidam detrudit ad æqua ponti,  
ille in aquam subito totum se immittit, & omne  
excitat ingenti sonitu mare feruere cogens.  
Fit quoque ut in uoluat uentis e nubibus ipse  
uortex conradens ex aere semina nubis,  
et quasi demissum cœlo præstera imitetur,  
Hic ubi se in terras demisit, dissoluit' que,  
turbanis immanem uim prouomit, atque procellæ.  
Sed quia fit raro omnino, montis' que necessest  
officere in terris, apparet crebrius idem  
prospectu matis in magno cœlo' que patenti.  
Nubila concrescunt, ubi corpora multa uolando  
hoc super in coeli spatio coiere repente  
asperiora modis quæ possint indupedita,  
exiguis tamen inter se compressa teneri.  
Haec faciunt primum paruas consistere nubeis,  
inde ea comprehendunt inter se, con que gregantur,  
& coniungendo crescunt, uentis' que feruntur  
usque adeo, donec tempestas sœua coortast.  
Fit quoque uti montis uicina cacumina cœlo  
quam sint quæque magis tanto magis edita fument  
assidue fuluæ nubis caligine crassa.  
Propterea quia tum consistunt nubila primum,  
ante uidere oculi, quam possint tenuia, uenti  
portantes cogunt ad summa cacumina montis.  
Hic denum fit uti turba maiore coorta  
& condensa atque arcta patere, & simul ipso  
uertice de montis uideatur surgere in æthram.  
Nam se declarat sursum uentosa patere  
res ipsa, & sensus montis cum ascendimus altos.  
Præterea permulta mari quoque tollere toto  
corpora naturam declarant, littore uestes  
suspensiæ cum concipiunt humoris adhæsum.  
Quo magis ad nubeis augendas multa uidentur  
posse



posse quoque e falso consurgere momine ponti.  
Nam ratio cum sanguine ab humoribus omnis  
præterea fluuiis ex omnibus, & simul ipsa  
surgere de terra nebulas, æstum' que uidemus,  
quæ uelut halitus hinc ita sursum expressa feruntur,  
suffundunt' que sua cælum caligine, & altas  
sufficient nubeis paulatim conueniundo,  
surget enim quoque signiferi super ætheris æstus,  
& quasi densendo subtextit cærula nimbus.  
fit quoque ut huc ueniant in cælum extrinsecus illa  
corpora, quæ faciunt nubeis, nimbos' que uolanteis.  
Innumerabilem enim numerū, summam' que profundi  
esse infinitam docui, quanta' que uolarent  
corpora mobilitate ostendi, quanque repente  
immemorabile tum spatiū transire solerent.  
Haud igitur mirumst si paruo tempore sæpe  
tam magnos monteis tempestas atque tenebræ  
cooperiant maria, ac terras impensa superne  
undique quandoquidem per cæulas ætheris omnes,  
& quasi per magni circum spiracula mundi  
exitus introitus' que elementis redditus extat.  
Nunc age, quo pacto pluuius concrescat in altis  
nubibus humor, & in terras dimissus ut imber  
decidat, expediam primum iam semina aquai  
multa simul uincam consurgere nubibus ipsis  
omnibus ex rebus pariter' que ita crescere utrunque,  
& nubeis, & aquam, quæcunque in nubibus extat,  
ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit.  
Sudor item atque humor quicunque denique mēbris  
concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum  
humorem, ueluti pendentia uellera lanæ,  
cum supera magnum mare uenti nubila portant.  
Consimili ratione ex omnibus amnibus humor  
tollitur in nubeis, quo cum bene semina aquarum  
multa modis multis conuenere undique adaucta,  
confertæ nubes ui uenti mittere certant  
dupliciter, nam uis uenti contrudit, & ipsa

m. iii



copia nimborum turba maiore coacta  
urget, & espero premit, ac facit effluere imbreis.  
Præterea cum rarescunt quoque nubila uentis,  
aut dissoluuntur solis supericta calore,  
mittunt humorem pluuium, stillante quasi igni  
cæra super calido tabescens multa liquefacat.  
Sed uehemens imber fit, ubi uehementer utrinque  
nubila ui cumulata premuntur, & impete uenti.  
At retinere diu pluiae longum' que morari  
consuerunt, ubi multa fuerunt semina aquarum,  
atque aliis aliae nubes, nimbi' que rigantes,  
insuper atque omni uolgo de parte feruntur,  
terra' que consumens humorem tota rehalat.  
Hic ubi Sol radiis tempestatem inter opacam  
aduersa fultis nimborum aspergine contra.  
Tum color in nigris existit nubibus arquus,  
cætera quæ sursum crescent, sursum' que creantur,  
& quæ concrescent in nubibus omnia, prorsum  
omnia, nix, uenti, grando, gelidæ' que pruinæ,  
& uis magna geli, magnum duramen aquarum,  
& mora, quæ fluuios passim refrenat eunteis.  
Per facilest tamen haec te per te, animo' que uidere  
omnia quo pacto fiant, quare' ue creentur,  
cum bone cognoris elementis reddita quæ sunt.  
Nunc age, quæ ratio terrai motibus extet  
percipe, & in primis terram face ut esse rearis  
subter, item & supera, uentis, atque undique plenam  
speluncis, multos' que lacus, multas' que lacunas  
in gremio gerere, & rupes derupta' que saxa,  
multa' que sub tergo terrai flumina testa  
uoluere iam fluctus, submersa' que saxa putandumst.  
Undique enim simile esse sui res postulat ipsa.  
His igitur rebus subiunctis, suppositis' que,  
terra superna tremit magnis concussa ruinis  
subter, ubi ingenteis speluncas subruit ætas.  
Quippe cadunt toti montes, magno' que repente  
concussu late discerpunt inde tremores,  
& merito



& merito, quoniam plaustris concussa tremiscunt  
tecta uiam propter non magno pondere tota.  
Nec minus exultantia sunt fortis quam ubi equum uis  
ferratos utrinque rotarum subcutit orbes.  
Fit quoque ubi magnas in aquas, uastas que lacunas  
gleba uetusitate e terra prouoluitur ingens,  
ut iactetur aquæ fluctu quoque terra uacillans  
Et uis in terra non quit constare, nisi humor  
destitit in dubio fluctu iactarier intus.  
Præterea uentus cum per loca sub caua terræ  
conlectus parte ex una procumbit, & urgit  
obnixus magnis speluncas uiribus altas,  
incumbit tellus, quo uenti prona premit uis.  
Tum supera terrani quæ sunt extracta domorum,  
ad cælum què magis quanto sunt edita quæque  
inclinata minant in eandem prodita partem,  
protractæ que trabes impudent ire paratæ.  
Et metuunt magni naturam credere mundi  
exitiale aliquod tempus, cladem que manere,  
cum uideant tantam terrarum incumbere molem.  
Quod nisi respirent uenti, si nulla refrenet  
res, neque ab exitio possit deprehendere eunteis.  
Nunc quia respirant alternis inque grauescunt,  
& quasi conlecti redeunt, cedunt que repulsi,  
sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinam  
quam facit, inclinatur enim, tretro que recellit,  
& recipit prolapsa suas in pondere sedes.  
Hac igitur ratione uacillant omnia tecta  
summa magis mediis, media imis, ima per hilum.  
Est hæc eiusdem quoque magni causa tremoris,  
uentus ubi atque animæ subito uis maxima quædam  
aut extrinsecus, aut ipsa tellure coorta  
in loca se caua terrai coniecit, ibi que  
speluncas inter magnas fremit ante tumultu,  
uersabunda que portatur post incita, cum uis  
exagitata foras erumpitur, & simul altam  
diffindens terram magnum concinnat hiatum.

m iv



In Syria Sydone quod accidit & fuit ægi  
in Peloponneso, quas exitus hic animai  
disturbat' que urbeis, & terræmotus abortus.  
multa' que præterea ceciderunt moenia magnis  
motibus in terris, & multæ per mare pessum  
subsidiere suis pariter cum ciuibus urbes.  
Quod nisi prorumpit tamen impetus ipse a nimai,  
et fera uis uenti per crebra foramina terræ  
dispertitur, ut horror, & incutit inde tremorem.  
Frigus uti nostros penitus cum uenit in artus,  
concutit inuitos cogens tremere, atque mouere.  
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis,  
tecta superna timent, metuunt inferna cauernas  
terræ ne dissoluatur natura repente,  
neu distracta suum late dispendat hiatum,  
idque suis confusa uelit complere ruinis.  
Proinde licet quamuis cœlum terram que reantur  
incorrupta fore æternæ mandata saluti,  
Et tamen interdum præsens uis ipsa pericli  
subdit, & hunc stimulum quadam de parte timoris,  
Nepedibus raptim tellus subtracta feratur  
in barathrum, rerum' que sequatur prodita summa  
funditus, & fiat mundi confusa ruina.  
Principio mare mirantur non reddere maius  
naturam, quo sit tantus decursus aquarum,  
omnia quo ueniant ex omni flumina parte.  
Adde uagos imbrevis, tempestates' que uolanteis,  
omnia quæ maria, ac terras spargunt' que, rigant' que,  
Adde suos fonteis. Tamen ad maris omnia summam  
guttai uix instar erunt unius ad augmen.  
Quo minus est mirum mare non augescere magnum.  
Præterea sol magnam partem detrahit æstu,  
Quippe uidemus enim uesteis humore madenteis  
exicare suis radiis ardentibus solem.  
At pelagi multa & late substrata uidemus.  
Ptoinde licet quamuis ex unoquoque loco sol  
humoris paruam delibet ab æquore partem.

tum



largius in tan<sup>c</sup>o spatio tamen auferet undis.  
Tum porro uenti quoque magnam tollere partem  
humoris possunt, uerrentes æquora ponti.  
Vna nocte uias quoniam persæpe uidemus  
siccari, molleis que luti concrescere crustas.  
Præterea docui multum quoque tollere nubeis  
humorem, magno conceptum ex æquore ponti,  
& passim toto terrarum spargere in orbe  
cum pluit in terris & uenti nubila portant.  
Postremo quoniam raro cum corpore tellus  
est, & coniunctas oras magis undique cingens.  
Debet ut in mare de terris uenit humor aquai,  
in terras itidem manare ex æquore falso.  
Percolatur enim uirus, retro' que remanat  
materies humoris, & ad caput amnibus omnis  
confluit, inde super terras redit augmine dulci,  
qua uia secta semel liquido pede detulit undas.  
Nunc, ratio quæ sit, per fauceis montis ut athnæ  
expirent ignes interdum turbine tanto,  
expediam, neque enim media quæ clade coorta  
flammæ tempestas sicolum dominata per agros  
finitimis ad se conuertit gentibus ora,  
fumida cum cœli scintillare omnia templa  
cernentes panda complestant corpora cura,  
quid moliretur rerum natura nouarum.  
Hisce tibi in rebus latest, alte' que uidendum,  
& longe cunctas in parteis dispiciendum,  
ut reminiscaris summam rerum esse profundam',  
& uideas Cœlum summai totius unum,  
quani sit paruula pars, & quam multesima constet.  
Nec tota pars homo terrai, quota totius unus,  
quod bone propositum si plane contueare,  
et uideas plane mirari multa relinquas.  
Num quis enim nostrum miratus si quis in artus  
accepit calido febrim feroire coortam?  
aut alium quemuis morbi per membra dolorem?  
obturgescit enim subito pes, arripit acer  
sæpe dolor dentis, oculos que inuadit in ipsos.



exurit sacer ignis, & urit corpora serpens  
quancunque arripuit partem, repit' que per artus.  
Nimirum, quia sunt multarum semina rerum.  
Et satis haec tellus morbi, cœlum' que malefert,  
unde queat uis immensi procrescere morbi.  
Sic igitur toti cœlo, terræ que putandum ist  
ex infinito satis omnia suppeditare,  
unde reperire queat tellus concussa moueri,  
per' que mare & terras rapidus percurretur turbo,  
ignis abundare ætnæus, flammescere cœlum,  
id quoque enim fit, & ardescunt cœlestia tempora.  
Et tempestates pluviæ & grainoræ coortu  
sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.  
At nimis est ingens incendii turbidus ardor.  
Scilicet & fluuius qui uisus maximus ei,  
qui non ante aliquem maiorem uidit, & ingens  
arbor homo' que uidetur, & omnia de genere omni  
maxima quæ uidit quisque, haec ingentia fingit.  
Cum tamen omnia cum cœlo, terra' que, mari' que  
nil sint ad summam summai totius omnem.  
Nunc tamen, illa modis quibus irritata repente  
flamma foras uastis ætnæ fornacibus efflet,  
expediam, Primum totius sub caua montis  
est natura fere silicum suffulta caveris.  
Omnibus est porro in speluncis uentus & aer.  
Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer.  
hic ubi percaluit, calefecit' que omnia circum  
saxa furens, qua contingit, terram' que & ab ollis  
excussit calidum flammis uelocibus ignem,  
fecit' que ardorem longe, longe' que fauillam  
differre, & crassauoluit caligine fumum,  
tollit se, ac rectis ita fauibus eiicit alte  
extrudit que simul mirando pondere saxa,  
Nec dubites quin haec animai turbida sit uis.  
Præterea magna ex parte mare montis ad eius  
radices frangit fluctus, æstum' que resorbet,  
ex hucusque mare speluncæ montis ad altas  
perueniunt



perueniunt subter fauceis, hac ire fatendumſt,  
& penetrare mari penitus res cogit aperto.  
atque efflare foras, ideoque extollere flammam,  
ſaxaque ſubiectare, & arenæ tollere nimbos.  
In ſummo ſunt uertice item crateres, ut ipſi  
nominitant, quos nos fauceis perhibemus, & ora.  
Sunt aliquot quoque res, quarum unā dicere cauſam  
non ſatis eſt, uerum plureis, unde una tamen ſit.  
Corpus ut exanimum, ſi quod procul ipſe iacere  
conſpicias hominis, fit ut omneis dicere cauſas  
conueniat leti, dicatur ut illius una,  
Nam neque eum ferro, nec frigore uincere poſſis  
interiſſe, neque a morbo, neque forte ueneno,  
uerum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio dicat,  
ſcimus, item in multis hoc rebus dicere habemus.  
Nilus in æſtate crescit, campis' que redundat  
unicus in terris ægypti totius amnis,  
is rigat ægyptum medium per ſæpe calorem.  
Aut quia ſunt æſtate aquilones ostia contra,  
anni tempore eo, quo etefia efflare feruntur,  
& contra fluuium flantes remorantur, & undas  
cogentes rufus replent, cogunt' que manere,  
Nam dubio procul hæc aduerso flabra feruntur  
flumine, quæ gelidis ab ſtellis axis aguntur.  
Ille ex æſtifera parte uenit amnis ab austro  
internigra uirum percocto ſæcla calore,  
exoriens penitus media ab regione diei.  
Et quoque uti poſſit magnus congeſtus arenæ  
fluſtibus aduersis oppilare ostia contra,  
cum mare permotum uentis ruit intus arenam.  
Quo fit uti pacto liber minus exitus amnis  
& procliuis item fiat minus impetus undis.  
Fit quoque uti pluuiæ forſan magis ad caput eius  
tempore eo fiant, quo etefia flabra aquilonum  
nubila coniiciunt in eas tunc omnia parteis.  
Scilicet ad medianam regionem eiecta diei  
cum conuenerunt, ibi ad altos denique monteis



contrusæ nubes coguntur, u' que premuntur.  
Forsitan æthiopum penitus de montibus altis  
crescit, ubi in campos albos decedere in igneis  
tabificis subigit radiis sol omnia instrans.  
Nunc age, auerna tibi, quæ sunt loca cunq; lacus' que  
expediam, quali natura prædita constent.  
Principio quod auerna vocantur, nomen id ab re  
impositumst, quia sunt aubus contraria cunctis,  
e regione ea quod loca cum uenere uolantes,  
remigio oblitæ pennarum uela remittunt,  
præcipites' que cadunt molli ceruice profusæ  
in terram, si forte ita fert natura locorum,  
aut in aquam si forte lacus substratus auerni.  
Hic locus est Cumas apud, eius in pede montis  
opleti calidis ubi fumat fontibus austus.  
Est & athenæis in montibus arcis in ipso  
uertice, palladis ad templum tritonidis almæ,  
quo nunquam pennis appellant corpora raucae  
cornices, non cum fumant altaria donis,  
usque adeo fugitant non iras palladis acreis  
peruigili causa grauni ut cecinere poetæ,  
sed natura loci hoc opus efficit ipsa suapte.  
In Syria quoque fertur item locus esse uideri,  
quadrupedes quoque quo simul, ac uestigia primum  
intulerint, grauiter uis cogat concidere ipsa,  
manibus ut si sint diuis mactata repente,  
omnia quæ naturali ratione geruntur,  
& quibus e causis fiant, apparet origo.  
Ianua ne portis orci, & regionibus esse  
credatur, post hinc animas Acheruntis in oras  
ducere forte deos maneis inferna reamur,  
naribus alipedes ut cerui sæpe putantur  
ducere de latebris serpentia secla ferarum.  
Quod procul a uera quam sit ratione repulsum  
percipe, nanque ipsa de re tibi dicere conor.  
Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,  
in terra cuiusque modi rerum esse figuræ,

multa



multa cibos quæ sunt uitalia multa' que morbos  
incutere, & mortem quæ possint accelerare,  
et magis esse aliis alias animantibus aptas  
res, ad uitai rationem ostendimus ante,  
propter dissimilem naturam dissimileis' que  
texturas inter se se, primas' que figuræ,  
multa meant inimica per aureis multa per ipsas  
insinuant nareis infesta atque aspera tactu.  
Nec sunt multa parum tactu uitanda, neque autem  
aspectu fugienda, sapore' que tristia quæ sint.  
Deinde uidere licet, quam multæ sint homini res  
acriter infesto sensu spurcæ' que graues' que.  
Arboribus primum certis grauis umbra tributast  
usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores,  
si quis eas subter iacuit prostratus in herbis.  
Est etiam magnis heliconis montibus arbos  
floris odore hominem tetro consueta necare.  
Scilicet hæc ideo terris ex omnia surgunt  
multa modis multis multarum semina rerum,  
quod permista gerit tellus, discreta' que tradit.  
Nocturnum' que recens extinctum lumen, ubi acreis  
nidore offendit nareis, consopit ibidem,  
concidere & primos qui morbos mittere sueuit,  
castoreo' que graui mulier sopita recumbit,  
& manibus nitidum teneris opus effluite ei,  
tempore eo si odoratast quo menstrua soluit.  
Multæ' que præterea languentia membra per arctus  
soluunt, atque animam labefactant sedibus intus.  
Denique si calidis etiam cum te relauaris  
plenior effluoris folio feruentis aquai,  
quam facile in medio fit uti des saepe ruinas.  
Carbonum' que grauis uis, atque odor, insinuat  
quam facile in cerebrum, nisi aqua præcepimus ante.  
At cum membra minus pertexit feruida seruus,  
tum fit odor uini, plagæ manabilis instar.  
Non' ne uides etiam terra quoque sulphur in ipsa  
gignier, & tetro concrescere odore bitumen?



Denique ubi argenti uenas, auri' que sequuntur,  
terrai penitus scrutantes abdita ferro,  
qualeis expiret scaptensula subter odores.  
Quid ue mali fit ut exhalent aurata metalla?  
quas hominum reddunt facies? qualeis' que colores?  
Non' ne uides audis' ue perire in tempote paruo  
quam soleant' ac quam uitai copia defit,  
quos opere in tali cohibet uis magna, necessest.  
Hos igitur tellus omneis exæstuat æstus,  
expirat' que foras in aperta , promptaque cœli.  
Sic & auerna loca alibus submittere debent  
mortiferam uim, de terra quæ surgit in auras,  
ut spatium cœli quadam de parte ueneni,  
Quo simul ac primum pennis delata sit ales,  
impediatur ibi cæco correpta ueneno,  
ut cadat e regione loci qua dirigit æstus,  
quo cum corruit , hæc eadem uis illius æstus  
reliquias uitæ membris ex omnibus aufert.  
quippe etenim primo quasi quendam conciet æstum.  
posterior fit uti cum iam cecidere uenena,  
in fonteis ipsos, ibi fit quoque uita uomenda,  
propterea quod magna mali fit copia circum.  
Fit quoque ut interdum uis hæc , atque æstus auerni  
aera, qui inter aueis cunquest, terramque locatus,  
discutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis,  
cuius ubi e regione loci uenere uolantis  
claudicat exemplo pinnarum nisus inanis.  
& conamen utrinque alarum perditur omne,  
hic ubi nixari nequeunt, insistere' que alis,  
scilicet in terris delabi pondere cogit  
natura, & uacuum prope iam per inane iacenteis  
dispergunt animas per caulas corporis omneis.  
Frigidior porro in puteis æstate fit humor,  
arescit quia terra calore, & semina siqua  
forte uaporis habet, propere dimittit in auras.  
Quo magis est igitur tellus effœta uapore,  
fit quoque frigidior, qui in terrast abditus, humor,  
frigore cum premitur porro omnis terra, coit' que  
et quasi



& quasi concrescit fit scilicet in coeundo,  
exprimat in puto solum gerit ipsa calorem.  
Est apud Hamonis fons luce diurna  
frigidus, & calidus nocturno tempore fertur,  
hunc homines fontem nimis admirantur, & acti  
Sole putant subter terras feruescere partim,  
nox ubi terribili terras caligine texit,  
quod nimis a uera st longeratione remotum.

Quippe ubi sol nudum contractans corpus aquai,  
non quierit calidum supera de reddere parte  
cum superum lumen tanto feruore fruatur,  
qui queat hunc subter tam crasso corpore terram  
percoquere humorem, & calido sotiare uaporem,  
præsertim cum uix possit per septa domorum  
insinuare suum radiis ardentibus æstum.

Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod  
parua tenet certum fontem, quam cætera tellus.  
Multæ que sunt ignis prope semina corpus aquai.

Hoc ubi roriferis terram nox obruit undis  
exempli subitus frigescit terra, coit que.  
Hac ratione sit, ut tanquam compressa manu sit,  
exprimat in fontem, quæ semina cunque habet ignis,  
quæ calidum faciunt laticis tactum, atque uaporem.  
Inde ubi sol radiis terram dimouit obortis,  
et rarefecit calido miscente uapore,  
rurus in antiquas redeunt primordia sedes  
ignis, & in terram cedit calor omnis aquai,  
frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.

Præterea solis radiis iactatur aquai  
humor, & in lucem tremulo rarescit ab æstu,  
Propterea sit uti, quæ semina cunque habet ignis,  
demittat, quasi saepe gelum quod continet in se  
mittit, & exoluit glaciem nodos que relaxat.  
Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe  
stupa iacit flammarum concepto protinus igni.  
Tædaque consimili ratione accensa per undas  
conlucet, quo cunque natans impellitur auris,



nimirum. Quia sunt in aqua permulta uaporis  
semina, de terra que necessest funditus ipsa  
ignis corpora per totum consurgere fontem,  
& simul expirare foras, exire que in auras,  
non tam uiua tamen, calidus queat ut fieri fons.  
Præterea dispersa foras erumpere cogit  
uis per aquam subito, sursu*ni* que ea conciliare,  
quod genus inde mari spirat fons dulcis aquai  
qui scatit, & falsas circum se dimouet undas.  
& multis aliis pariter regionibus æquor  
utilitatem opportunam sitientibus nautis,  
quod dulcis inter falsas interuomit undas.  
Sic igitur per eum possunt erumpere fontem,  
& scatere illa foras in stupam semina, quæ cum  
conueniunt, aut in tæda cum corpora adhærent,  
ardescunt facile extemplo, quod multa quoque in se  
semina habent ignis stupæ, tædē que tenentes.  
Non ne uides etiam nocturna ad lumina lychnum  
nuper, ubi extinctum admoueas, accendier ante?  
quam tetigit flammat? tædam' que pari ratione,  
multa' que præterea, prius ipso tacta uapore  
eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis.  
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandumst.  
Quod superest agere incipiam, quo fœdere fiat  
naturæ, lapis hic ut ferrum ducere possit,  
quem Magneta uocant patrio de nomine graii,  
magnetum quia sit patriis in finibus ortus,  
hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam  
sæpe ex anellis reddit pendentibus ex se,  
quinque & enim licet interdum, plures' que uidere  
ordine demisso leuibus iactarier hamis,  
unus ubi ex uno dependit subter adhærenſ,  
ex alio' que aliis lapidis uim, uincla' que noscit,  
usque adeo permanant, & uis præualet eius.  
Hoc genus in rebus firmandumst multa prius, quam  
ipsius rei rationem reddere possis,  
& nimium longis ambagibus est adeundum  
quo magis



quo magis attentas, aureis animum' que reposco.  
Principio omnibus a rebus quæcunque uidemus  
perpetuo fluere, ac mitti fateare necessest  
corpora, quæ feriant oculos, uisum' que laceffant,  
perpetuo que fluant certis ab rebus odores.  
Frigus ut e fluuiis, calor a sole, æstus ab undis  
æquoris exesor mororum littora propter,  
nec uarii cessant sonitus manare per auras.  
Denique in os salsi uenit humor sæpe saporis,  
cum mare uersamur propter, diluta' que contra  
cum tuimur misceri apsinthia, tangit amaror.  
Vsque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter  
fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis,  
nec mora, nec requies interdatur ulla fluendi,  
perpetuo quoniam sentimus, & omnia semper  
cernere odorari licet, & sentire sonare.  
Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res  
commemorare, quod in primo quoq; carmine claret.  
Quippe & enim quāquani multas hoc pertinet ad res  
noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam  
qua de differere ad gredior, firmare necessest,  
nil esse in promptu, nisi mistum corpus inani.  
Principio fit ut in speluncis saxa superna  
sudent humore, & guttis manantibus stillent.  
Manat item nobis e toto corpore sudor.  
Crescit barba, pili' que per omnia membra, per artus,  
diditur in uenas cibus omneis, auget, alit' que  
corporis extremas quoque parteis, unguiculas' que.  
Frigus item transire per aes, calidum' que uaporem  
sentimus, sentimus item transire per aurum,  
atque per argentum, cum pocula plena tenemus.  
Denique per dissepta domorum saxeа uoces  
peruolitant, permanat odor, frigus' que, uapor' que  
ignis, qui ferri quoque uim penetrare fuerit.  
Denique qua circum colli lorica cohæret  
morbida uis' que simul cum extrinsecus insinuatur.  
Et tempestates terra, cælo' que coortæ



in cælum, terras' quæ remotæ iure facessunt.  
Quandoquidem nihil est, nisi raro corpore nexum.  
Huc accedit uti non omnia quæ iaciuntur  
corpora cunque ab rebus eodem prædicta sensu,  
atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.  
Principio terram Sol excoquit, & facit are,  
at glaciem dissoluit, & altis montibus altas,  
extructas' que niueis radiis tabescere cogit.  
Denique cæra liquefit in ignis posta uapore.  
Ignis item liquidum facile æs, aurum que resoluti,  
at coria, & carnem trahit, & conductit in unum  
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni,  
at coria, & cartiem mollit durata calore.  
Barbigeras oleaster eð iuuat usque capellas,  
effluat ambrosiam quasi uero, & nectare tinctus.  
at nihil est homini, fronde hac quod amarius extet,  
denique amaricinum fugitat sus, & timet omne  
unguentum, nam setigeris subus acre uenenumst,  
quod nos interdum tanquam recreare uidetur.  
At contra nobis coenum teterima cum sit  
spurcites, eadem subus hæc incunda uidetur  
insatiabiliter toti ut uoluantur ibidem.  
Hoc etiam supereft, ipsa quia dicere de re  
aggredior, quod dicendum prius esse uidetur.  
Multa foramina cum uariis sint redditæ rebus,  
dissimili inter se natura prædicta debent  
esse, & habere suam naturam quæque, uias' que.  
Quippe & enim uariis sensus animantibus insunt,  
quorum quisque suam proprie rem percipit in se.  
Nam penetrare aliò sonitus, aliò que saporem  
cernimus e succis, aliò nidoris odores,  
scilicet id fieri cogit natura uiarum,  
multimodis uarians, ut paulo ostendimus ante  
propter dissimilem naturam, texta' que rerum.  
Propterea manare aliud per saxa uidetur,  
atque aliud tignis, aliud transire per aurum,  
argento' que foras aliud, uitro' que meare.



Nam fluere hac species, illac calor ire uidetur,  
atque aliis aliud citius trasmittere eandem.  
Scilicet id fieri cogit natura uiarum  
multimodis uarians, ut paulo ostendimus ante.  
Quapropter bone ubi hæc confirmata, atque locata  
omnia constiterint nobis præposta parata.  
Quod super est facile huic ratio reddetur, & omnis  
causa patet, quæ ferri pelliciat uim,  
principio fluere e lapide hoc per multa neceſſest  
semina, siue æſtum qui diſcutit aera plagis,  
inter qui lapidem ferrum que est cunque locatus.  
Hoc ubi inanitū ſpatium, multus que uaceſit  
in medio locus, extemplo primordia ferri  
in uacuum prolapsa cadunt coniuncta, fit, ut qui  
anulus ipſe ſequatur, eat que ita corpore toto,  
nec res ulla magis primoribus ex elementis  
indupedita ſuis arte connexa cohæret,  
quam ualidi ferri naturæ frigidus horror.  
Quo minus est mirum, quod dicitur, ex elementis  
corpora ſi nequeunt e ferro plura coorta  
in uacuum ferri, quin anulus ipſe ſequatur,  
quod facit, & ſequitur donec peruenit ad ipsum  
iam lapidem, cæcis que in eis compagibus hæſit.  
Hoc fit item cunctas in parteſ unde uaceſit  
cunque locus, siue ex traueroſo, siue ſuperne  
corpora continuo in uacuum uicina feruntur.  
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipſa  
ſponte ſua ſurſum poſſunt conſurgere in auras.  
Huc accedit item, quare queat id magis eſſe,  
hæc quoque res adiumento, motu que iuuatur,  
quod ſimul a fronteſ anelli rarioſ aer,  
factus, inanitus que locus magis, ac uacuatus  
continuo fit, uti qui poſt eſt cunque locatus  
aer a tergo quaſi prouehat, atque propellat.  
Semper enim circum poſitus res uerberata aer,  
ſed tali fit, uti propellat tempore ferrum,  
parte quod ex una ſpatium uacat, & capit in ſe

n ii



hic tibi, quem memoro, per crebra foramina ferri  
pronas ad partes subtiliter insinuatus,  
trudit, & impellit quasi nauem, uela' que uentis.  
Denique res omnes debent in corpore habere  
aera, quandoquidem rarescunt corpora, ut aer  
omnibus est rebus circundatus, appositus' que.  
Hic igitur penitus, qui in ferro st abditus aer,  
sollicito motu semper iactatur, eoque  
uerberat anellum dubio procul, & ciet intus,  
scilicet eodem fertur, quo præcipitauit  
iam semel, & partem in uacuam conamina sumpsit.  
Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat  
interdum fugere, atque sequi consueta uicissim,  
exultare etiam samothracia ferrea uidi,  
& ramenta simul ferri furere intus ahenis  
in scaphiis, lapis hic magnes cum subditus esset,  
usque adeo fugere a faxo gestire uidetur,  
ære interposito discordia tanta creatur.  
Propterea quia nimirum prius æstus ubi æris  
percepit, ferri que vias possedit apertas,  
posterior lapidis uenit æstus, & omnia plena  
inuenit in ferro, neque habet qua tranet ut ante.  
Cogitur offendere igitur, pulsare' que fluctu  
terrea testa suo quo pacto respuit ab se,  
atque per æs agitat sine eo, quod saepe resorbet.  
Illud in his rebus mirari mitte, quod æstus  
non ualet e lapide hoc alias impellere item res.  
pondere enim freatæ partim stant, quod genus aurum,  
ac partim raro quia sunt cum corpore, ut æstus  
per uolet intactus, nequeunt impellier usquam,  
lignea materies in quo genere esse uiderur.  
Inter utrasque igitur ferri natura locata  
aeris ubi accepit quædam corpuscula, cum sic  
impellant, ut eam magnetis semina faxit.  
Nec tamen haec ita sunt aliarum rerum aliena,  
ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,  
quaæ memorare queam inter se singulariter apta

Saxa



Saxa uides primum sola coalescere calce.  
Glutine materies taurino iungitur una  
ut uitio uenæ tabularum sèpius hiscant,  
quam laxare queant compages taurea uincia.  
Vitigeni latices in aquai fontibus audent  
miseri, cum pix nequeat grauis, & leue olijum,  
Purpureus' que colos conchilii mergitur uno  
corpo cum lanæ dirimi qui non queat usquam,  
non si Neptuni fluctu renouare operam des,  
Non mare si totum uelit eluere omnibus undis'.  
Denique res auro fit uti aurum copulet una.  
Aes æque plumbo fit uti iungatur ab albo.  
Cætera iam quam multa licet reperire, quid ergo?  
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam.  
Nec metam multam hic operam consumere par est.  
Sed breuiter paucis praestat comprehendere multa,  
quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,  
ut caua conueniant plenis, hæc illius, illa  
huiusque inter se iunctura hæc optima constat.  
Est etiam quasi ut anellis, hamis que plicata.  
inter se quædam possint copulata teneri,  
quod magis in lapide hoc fieri, ferroque uidetur  
Nunc, ratio quæ sit morbis, aut unde repente  
mortiferam possit cladem conflare coorta  
morbi uis hominum generi, pecudumque cateruis,  
expidiā. Primum multarum semina rerum  
esse supra do cui, quæ sint uitalia nobis,  
& contra quæ sint morbo, mortique necessest.  
Multæ uolare ea cum casu sunt forte coorta  
& perturbarunt cœlum, fit morbidus aer.  
Atque ea uis omnis morborum, pestilas' que,  
aut extrinsecus ut nubes, nebulæ' que superne  
per cœlum ueniunt, aut ipsa sèpe coorta  
de terra surgunt, ubi putorem humida nausta,  
intempestiis pluviis que, & solibus icta.  
Non ne uides etiam cœli nouitate, & aquarum  
tentari procul a patria quicunque, domo' que

n iii



adueniunt ideo quia longe discrepat aer.  
 Nam quid Britannis cælum differre putamus?  
 & quod in ægypto est, qua mundi claudicat axis.  
 Quid ue quod in ponto est differre a gadibus, atque  
 usque ad nigra uirum percocto sœla colore?  
 quæquæ quattuor inter se diuersa uidemus,  
 quattuor a uentis & cæli partibus esse.  
 Tum color & facies hominum distare uidetur  
 largiter, & morbi generatim secla tenere.  
 Est elephas morbus, qui propter flumina nili  
 gignitur ægypti in medio, neque præterea usquam.  
 Attide tentantur gressus, oculi que in achaëis.  
 Finibus inde alius aliis locus est inimicus,  
 partibus ac membris uariis concinnat id aer.  
 Proinde ubi se cœlum, quod nobis forte alienum,  
 commouet, atque aer inimicus serpere cœpit,  
 ut nebula ac nubes, paulatim reptit, & omne,  
 qua graditur, conturbat, & immunitare coactat.  
 Fit quoque, ut in nostrum cum uenit denique cælum  
 corrumpat, reddatque sui simile atque alienum.  
 Hæc igitur subita clades noua pestilens que,  
 aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsis,  
 aut alios hominum pastus pecudum que cibatus.  
 Aut etiam suspensa manet uis aere in ipso.  
 Et cum spirantes mistas hinc ducimus auras,  
 illa quoque in corpus pariter sorbere uellet.  
 Consumili ratione uenit bubus quoque sœpe  
 pestilens etiam pigris talaribus ægre.  
 Nec refert utrum nos in loca deueniamus  
 nobis ab diuersa, & cæli mutemus amictum,  
 an cælum nobis natura ultro corruptum  
 deferat, aut aliquid quod non consueuimus uti,  
 quod nos aduentu possit tentare recenti.  
 Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus  
 finibus in cecropiis funestos reddidit agros,  
 iustauit que uias, exhausit ciuibus urbem.  
 Nam penitus uenient ægypti finibus orcus

aera



*Lib.*

aera permensus multum, campos' que natantes,  
incubuit tandem populo pandionis omni,  
inde cateruatim morbo morti' que dabantur.  
Principio caput incensum feroire gerebant,  
& dupliceis oculos suffusa luce rubenteis,  
sudabant etiam fauces intrinsecus atro  
sanguine, & ulceribus uocis uia septa coibat,  
atque animi interpres manabat lingua cruento  
debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.  
Inde ubi per fauceis pectus complerat, & ipsum  
morbida uis in cor moestum confluxerat ægris,  
omnia tum uero uitai claustra lababant.  
Spiritus ore foras tetrum uoluebat odorem  
rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.  
Atque animi prorsum uires totius, & omne  
languebat corpus læti iam limine in ipso,  
intolerabilibus' que malis erat anxius angor  
affidue comes, & gemitu commista querela.  
Singultus' que frequens noctem persæpe, diem' que  
corripere affidue neruos, & membra coactans  
dissoluebat eos defessos ante fatigans.  
Nec nimio cuiquam posses ardore tueri  
corporis in summo summam feruescere partem,  
sed potius tepidum manibus proponere tactum,  
& simul ulceribus quasi inustis omne rubore  
corpus, ut est per membra sacer cum diditur ignis.  
Intima pars homini uero flagrabat adesa.  
Flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus,  
nil adeo posses cuiquam leue, tentie' que membris.  
Vertere utilitatem ad uentum & frigora semper.  
In fluuios partim gelidos ardentia morbo  
membra dabant, nudum iacentes corpus in undas.  
Inciderunt ipso uenientes ore patente,  
infedabiliter sitis arida corpora mersans  
æquabat multum pernix humoribus inibrem.  
Nec requies erat ulla mali, defessa iaciebant  
multi præcipites lymphis putealibus alte



corpora, mūssabat racto medicina timore  
quippe, patientia cum totiens ardentia morbis  
lumina uerarent oculorum expertia somno.  
Multæ que præterea mortis tunc signa dabantur.  
Perturbata animi mens in mœro re, metu' que,  
triste supercilium, furiosus uoltus & acer,  
sollicitæ porro, plenæ que sonoribus aures,  
creber spiritus, aut ingens, raro que coortus,  
sudoris que niadens per collum splendidus humor,  
tenuia sputa minuta croci contracta colore,  
salsa' que per fauceis raucas nix edita tussis,  
in manibus uero nerui trahere, & tremere artus,  
a pedibus que minutatim succedere frigus.  
Non dubitabat item ad supremū denique tempus,  
compressæ nares, nasi primoris acumen  
tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,  
Duraqq inhorrebat facies, frons tecta meabat,  
nec nimio rigida post artus morte iacebant,  
octauo' que fere candidi lumines solis,  
aut etiam nona reddebat lampade uitam,  
quorum si quis (ut est) uitarat funera leti  
uisceribus tetris & nigra proluuie alui,  
posteriorius tamen hunc tabes, letum' que manebat,  
Aut etiam multus capit is cum sæpe dolore  
corruptus sanguis expletis naribus ibat,  
huc hominis totæ uires, corpus' que fluebat.  
Profluuum porro cui tetri sanguinis acre  
exierat, tamen in neruos huic morbus & artus  
ibat, & in parteis genitalis corporis ipsas,  
et grauiter partim metuentes limina leti  
uiuebant ferro priuati parte uirili,  
et manibus sine nonnulli pedibus' que manebant  
in uita tamen, & perdebat lumina partim,  
usque adeo mortis metus iis incusserat acer.  
Atque etiam quosdam cœpero obliuia rerum  
cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.  
Multæ qu humi cum inhumata iacerent corpora supra  
corpo.



corporibus tamen alituum genus, atque ferarum,  
Aut procul absiliebat, ut acrem exciret odorem,  
aut ubi gustarat, languebat morte propinqua.  
Nec tamen omnino temere illis solibus ulla  
comparebat auis, nec tristia secla ferarum  
exibant siluis, languebant pleraque morbo,  
et moriebantur, cum primis fida canum uis  
strata uiis animum ponebat in omnibus aegre.  
Extorquebat enim uitam uis morbida membris  
incomitata rapi certabant funera uasta.  
Nec ratio remedii communis certa dabatur.  
Nam quod alii dederat uitaleis aeris auras  
uoluere in ore licere, & cœli templa tueri,  
hoc aliis erat exitio, letum' que parabat.  
Illud in his rebus miserandum magnopere unum  
æruminabile erat, quod ubi se quisque uidebat  
implicitum morbo, morti daminatus ut esset,  
deficiens animo mœsto cum corde iacebat,  
funera respectans animam mittebat ibidem.  
Atque uel in primis cumulabat funere funus.  
**Quippe** etenim nullo cessabant tempore apisci  
ex aliis alios audi contagia morbi.  
Nam quicunque suos fugitabant (ut fit) ad ægros  
uitai nimium cupidos, mortis' que timenteis  
poenas, & paulo post turpi morte, mala' que  
desertos, opis experteis, incuria mastans,  
atque labore, pudoreque omni cogebat obire,  
blandaque lassorum uox mixta uoce querelæ  
lanigeras tanquam pecudes, & bucera sœcla.  
**Qui** fuerant autem præsto contagibus ibant,  
inque aliis alium populum sepelire suorum  
certantes lacrymis lassi, luctuque redibant.  
Inde bonam partem in letum mœrore dabantur.  
Optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.  
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus  
nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.  
Præterea iam pastor, & armentarius omnis



& robustus item curui moderator aratri  
languebat, penitus que casa contrusa iacebant  
corpora, paupertate, & morbo tradita morti.  
Exanimis pueris super exanimata parentum  
corpora nonnunquam posses, retroque uidere  
matribus, & patribus natos super edere uitam.  
Nec minimam partem ex agris mœroris in urbem  
confluxit, languens quem contulit agricolarum  
copia, conueniens ex omni morbida parte,  
omnia condebat loca tectis, quo magis æstus  
infertos ita aceruatim mors accumulabat.  
Multæ siti prostrata uiam per pro que uoluta  
corpora sola amneis ad aquarum strata iacebant  
interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum.  
Multæque per populi passim loca prompta, uias que  
languida semianimo tum corpore membra uideres  
horrida pedore, & pannis cooperta perire  
corporis illuie, pellis super ossibus una,  
uisceribus tetris propeiam, sordēque sepulta.  
Omnia denique sancta deum delubra replerat  
corporibus mors exanimis, onerataque passim  
cuncta cadaueribus cælestum templo manebant,  
hospitibus loca quæ complerant ædituentes.  
Nec iam religio diuum, nec numina magni  
pendebantur, enim præsens dolor exuperabat.  
Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe.  
ut pius hic populus semper consuerat humari,  
perturbatus enim totus repedabat, & unus  
quisque suum pro recognatum mœstus humabat.  
Multæque uis subita, & paupertas horrida suasit.  
Namque suos consanguineos aliena rogorum,  
insuper extracta ingenti clamore locabant,  
subdebat que faces multo cum sanguine sæpe  
rixantes potius, quam corpora deferrentur.

Finis.


Hieronymi Auancii Veronensis ingenio et labore.



Venetiis, accuratiss. Apud Aldū, mense Decem. M.D  
Non licet sic alteri cuiquā sine multa, in Oris Venetis.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n.  
Quaterniones omnes . n. ternione excepto






Landesbibliothek Oldenburg




Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg